EPITHALAMIA.

VIRTVTE ET DOCTRINA ORNATO VIRO D. PETRO LAVRENTIADAE ALTIMITENO

ARTIVM PHILOSOPHIAE BACCALAVREO RECTORI Scholæ Rakonensium fidelissimo. Et pudicissimæ virgini Ludmillæ D. Georgij Louecij ciuis Rakonensis, filiæ, ab amicis scripta, 18 Octobris Anno salutis 1580.

PRAGAE.
Ex Officina Georgii Nigrini.

BIBL. UNIW. WROCŁ.

VOTVM.

Postquam Gorgoneam vicisti Petre Medusam,
Fudisti & forti barbara castra manu.
Andromeden poteris thalamo retinere iugali,
Virginis inq; tuo membra fouere sinu.
Victor Agenorides Phornicidos ora colubra
Præfer, & alato subdito calcar equo.
In saxum vertetur Atlas scopuliq; rigebit,
Terga dabit turpi cætera turba fugæ.
Felices Hymenæe faces accende, marito
Ducetur quoniam sponsa pudica nouo.
En Hymenæus adest auratis splendidus alis,
Imponens tepidis thura Sabæa focis.
Ornat odoriferis arguta palatia sertis,
Audit vbi Pharios reddere plectra, sonos.
Et si non fallor, (sed prorsus fallere nunquam
Consueuit vates Augur Apollo suos)
Atria lætantur reseratis pulchra fenestris,
Et ducit celebres tota Rakona choros.
Argumenta animi video felicia blandi,
Autor legitimi forsan amoris adest?
Christus adest certè socij formator amoris,
Vinctus Idumæus tempora sacra comis.
O fortunatum fausta cum coniuge sponsum,
Conuiuam qui se nouit habere Deum.
Credibile est illum seros numerare nepotes,
Canáq; Nelæi vincere secla, Ducis.
Illius æthereo distendit nectare cellas
Et facit ex liquidis Rhetica vina vadis.
Anxia sollicitis dissoluit pectora curis,
Donat & æterna gaudia grata, mora.
Quapropter meritò dicêris Petre Beatus.
Conuiuam recipit dum tua mensa Deum.

Scriptum ab Elia Sstyrkolsky VVolino
artium Philosophiæ Baccalaureo.

Ex Bibl. Ant. Ried. Mar. Magdal.

BIBL. UNIW. WROCŁAW

1997 KK 69
AKC. 16/35

ALIVD EPITHALAMIVM.

HONESTO AC ERVDITO VIRO D. PETRO LAVRENTIADAE ALTIMYTENO, ARTIum Philosophiæ Baccalaureo, Rectori Scholæ Raconensium fidelis. fratri & Præceptori suo multùm colendo: ac piæ & pudicæ virgini Ludmillæ Loueciæ scriptum

à

BOHVSLAO LAVRENTIADE ALTIMYTENO.

CVm chaos ex nihilo factum DEVS arte poliret,
Digereretq; illo qui manet vsq; modo,
Perplacet huic genios cœlo posuisse frequentes,
Præficitur terræ fructibus, vnus Adam.
Hoc DEVS à solo sibi vult prodire nepotes,
Qui laude æterna facta stupenda vehant.
Coniugium sancit, sociam quo tempore primùm
Addit ei, flammas odit at ipse vagas.
Anne igitur dubites thalamos intrare iugales,
O qui præ reliquis me, pie frater, amas?
Quàm pulchrum summo pueros duxisse parenti,
Qui lecti sociam ducat & ipse tibi.
Omnia summa in te: sed enim quid corda fatigat?
In mentemq; venit quòd minus ipse velim?
Paucula cor (sat erit) suggesseris, iste dolentem
Cùm decorare velit, ne magis obsit honos.

Hunc

Hunc alij ſine condecorent quo dignus honore eſt,
Vt qua perpeſſus plurima dura Trebicz.
Veluarium pariter ludi fateàre magiſtrum,
Dixerit at latè nota Racona ſuum.
Dum loquor, ecce tubæ clangor peruenit ad aures,
Murmur & attonita voluitur aure mihi.
Stipatam video niuea ceruice puellam.
Cuius vtramq; manum candida virgo tenet:
Ad dextram Pietas, ſummiſſa Modeſtia læuam,
Exornat caſtam, qui micat ante, Pudor.
Nunc ſcîtor reliquos, nunc ipſum interrogo ſponſum,
Quæſit, at ille refert, frater amate, mea eſt.
Obſtupui, ſenſimq; educunt gaudia fletum:
Inſpergor lachrymis cum dolor omnis abeſt.
Heus fortuna leui turbes quoq; pectora domo,
Ne, quæ pollicita es, gaudia tanta ruant.
Gratulor vxorem, tibi gaudeo, frater amice,
Cumq; illa meritò proſpera cuncta precor.
Ergo Scholæ tandem pertriſtia tecta relinques?
Aut etiam ſcholico ſemina iacta gregi?
In miſero totam traxiſti puluere vitam,
Aſcræi ſeruas nunc documenta ſenis,
Ferrea ſecla tuum ter denos circiter annos,
Nec ſine fructu, imo corpus in orbe vident.
Ornaſti iuuenis iuuenes, ſenioribus ardes,
Quos curæ exacuunt, iam vir adeſſe viris.
Nil abs re facis. Officij pars prima receſsit,
Annos quando nouem resq; DEVMq; doces:

Vt des mundo alium pro te, pars altera reſtat,
Curarum molem ſuſtineasq; grauem.
Sic pius exulta, venienti occurre maritæ:
Soluantur curis pectora, lætus agas.
Cumq; manus teneant alij dextram inijce collo,
Duc age duc veſtram tecta puſilla domum.
Salue cum docto glos intemerata marito,
Salue labentis firma columna domus.
IEHOVA te talem mihi quod deuinxit amicam,
Eſt gratum, ô roſeis virgo pudica genis,
Ne geme, viuetis dulces quaſi corde columbi,
Hactenus vt iuncti pectore vterque ſumus.
Qui comites? quales onerato corpore gemmæ?
Ex auroque ornat quæ ſibi vitta caput?
Felices ſitis, felix DEVS aſsit vtrique,
Viuatis Pilij tempora longa ſenis.
Felices ſitis, tandem edite pignora lecti,
Vt danti creſcat gloria lausq; DEO.
Et vos ô celebres multùm ſaluete patroni,
Matronæq; piæ, quæué puella præit.
Intretis teſtesq; thori ſobolisq; futuræ,
Tutores, & qui ſanguine iunctus erit.
Coniuge cum dulci decoret præſentia ſponſum
Veſtra, ſimulq; omnes exhilarate duos.
Quisq; pijs ſalibus, poris eſt qua parte, placeto,
Quodq; animo tectis repſerit oro fluat.
Scilicet hi, poſtquam curarum obuenerit horror,
Sponte ſua vobis triſtia multa canent.

Nunc

Nunc gaudete, diem læti consumite lætum,
Consilioq; nouum quisq; iuuetis herum.
Tu sacra perpetuò cuî sunt connubia curæ,
Alme parens firma quo celebreris opus.
Inter vt hos habitetque fides, dilectioque exors
Litis, quę à iuncto nomina corde gerat.

ALIVD IOANNIS SVSSILII RAKOVVNICENI.

DVm Sacra connubij tenui meditamur auena,
Qualia vel socius vincula nectit Hymen:
Qui freta, qui terras, qui nutu sidera torques,
Concutis & feruens quicquid Auernus habet.
Surripe vim Boreis vasto rex AEolus antro.
Compescat gelidi murmura rauca Noti.
Vos quoque Pimplæi studiosæ fontis alumnæ,
Tu q́ue Medusææ gloria Phœbe lyræ.
Seu vos Mæonij retinēt pomaria campi,
Seu nunc Pegaseis ora rigatis aquis.
Huc afferte pedes cæptoq́ue fauete labori,
Disparibus tangam fila sonora modis.
Ite leues remi: tenera cum coniuge sponsus,
Ingreditur socij fœdera casta Tori.
Vrbs iacet Hercinijs fama celeberrima in oris,
Rakonam Patrio nomine turba vocat.
Hanc si fortè videt diuersis aduena terris,
Cultaq; perpendit fertilis arua soli.

Miratur

Miratur: fueritq; rogat quis conditor vrbis,
Inuenit tanti qui sacra prata loci?
Tum propius veniens ad mænia celsa Rakonæ,
Omnia legitima pace vigere videt.
Spectat bissenum celebri virtute Senatum,
Vt ferat à sera posteritate decus.
Non obscura loquor, patriæ si forsitan amplas
Enumero laudes, vrbs, Schola, testis adest.
Condecorata satis nitidoquæ calce relucet,
Cui nec habet muros terra Boëma pares.
Hanc studiosa cohors, pueri, iuuenesq; frequentant,
Cor studijs, mentem & moribus expoliunt.
Hæc certè hæc Schola me voluit conscendere culmen
In quo cum Musis Phœbus Apollo sedet.
Illic Castalio de flumine labra rigare
Cœpi, cum primo flore puellus eram.
Hinc ego me Patriæ multum debere fatebor,
Donec in hoc vegetus corpore sanguis erit.
Est igitur felix ô terq; quaterq; Beata,
Publica res Musis quæ viget aucta sacris,
Fortunata potest diciq; beata Rakona,
Dum retinet veram, cum pietate fidem.
Insuper & largo per multos promouet ære,
Semina qui sacræ relligionis amant.
Et quid opus multis? cur non tibi vera faterer,
Exequitur munus quod iubet ipse DEVS.
Hic quoq; Pieridum resident pia numina vatum,
Cernitur & Clariam Phœbus habere domum.

Me præsente pijs tuã namq; Palestra Magistris,
Floruit à longo tempore, floret adhuc.
Est exculta tuo multum quoq; Petre labore,
O decus ô patriæ portus & aura meæ.
Annis te viguit (testor) moderante duobus,
Dum Rector dubiæ, Nauita puppis eras.
Linquentem luget doctissima fana Lycæi,
Petre Aganipæi gloria magna chori.
Effrenam quoniam non vis formare iuuentam,
Desinis & mœstæ munus obire Scholæ.
Non ne fuit satius doctis incumbere libris,
Et perferre tuæ verba superba Lydæ?
Sed quid ego stultis syluas compello querelis,
Quid rapidis mando dicta ferenda Notis?
Pectora cur frustra conor diuellere chara,
Tentoq; immanes iungere Gryphes equis?
Quid loquor? heu castum cui non inspirat amorem,
Quæso sub extremis ossibus ipse DEVS?
Durior is ferro est cui non sua spicula torsit
Alma Venus, molles atq; Cupido faces,
Omnia castus hymen per amorem pectora vincit,
Aethereos peragrans æquoreósq; sinus.
Gratulor ergo Lydam quòd vis tibi iungere charam,
Et dignam digno consociare Toro.
Nympha tu dignus, Nympha est te digna, marito,
Vos liget æterni gratia summa DEI.
Annuat huic cœpto doctorum turba sororum,
Ascræi sitis pars vt amena chori,

Est

Est pietas sponsis gratari carmine fausto,
Tædia nam vitæ demere vota solent.
Clio læta canas ad sponsi vincla recentis,
Melpomene suaui carmine pange melos.
Dulciloqui s calamos Euterpe flatibus vrge,
Terpsichore digitis tange puella, chelym.
Ingemines Erato plausu modulamina dulci,
Annuat vt vôtis augur Apollo sacris.
Semper enim coluit vestri sacra tesqua recessus,
Et sua Gorgoneo proluit ora lacu.
Sedulus officij, fidus pietatis amator
Petrus Palladij viuida fama chori.
Quẽsq; fuit studijs primis addictus ab annis,
Quæq; hausit summa sedulitate puer,
Hæc etiam Patrijs fuerat professus in oris,
Postquam de viridi Baccare serta tulit,
Talis ab Aonijs augetur fama coronis,
Hæc labor, & virtus, præmia laudis, habent.
Obijciet forsan doctæ studiosa Mineruæ
Turba, Caballini quæ colit antra iugi.
Gnydia Pierias non vrit flamma sorores,
Nec qui Pegaseis dant sacra iura focis,
Si Petrus coluit castas Heliconis alumnas
Illarumq; aras deueneratus erat.
Cur occulta suis excepit tela medullis?
Cúrue oculis placuit pulchra puella suis?
Accipiat sponsi responsa benigna recentis,
Quisquis dat duro talia verba sono.

Casta

Casta placent castis, casto succumbit amori
Castus, & illicitas effugit ille faces.
Numina Castalidum quamuis sint casta sororum,
Et sponsæ casti vitta pudoris inest.
Non ergo illicitas sponsi celebramus amores.
Sed quos concessit gratia larga DEI.
Quos laudant Musæ, magnus quos laudat Apollo.
Quos triplici Charites numine sæpe probant.
Obstrepet at stolidum vesano gutture vulgus,
Atq; leui vanos fundet ab ore sonos.
Est quod si sponsus de semine cretus honesto,
Vulgare & patrium poscit in orbe decus.
Non debet flammis teneræ succumbere Nymphæ,
Nec cordi leuitas debet inesse suo.
O stupidas voces, ô verba nefanda prophanæ
Plebis, quæ sensu dexteriore caret.
Sis licet ingenuo prognatus Petre parente,
Et tua sit toto cognita fama polo:
Est quoq; sponsa pio Lovvcziek de sanguine creta,
Quam decorat castæ forma pudicitiæ
Quam pietas decorat nullos lapsura per annos
Et mores iusta cum probitate boni.
Nam coluit charos imo de corde parentes,
Atq; colet vegetus dum reget ossa calor.
Et (si non fallo) doctas tenet illa lituras,
Ac sacros voluit nocte dieq; libros.
Vna fides igitur vobis, mens vna, voluntas,
Sit semper, Lachesis donec acerba sinet.

Hoc

Hoc oro nexu vestri firmentur amores,
Turbine ne venti concutiente cadant.
Vt tamen & nostri specimen constaret amoris,
Accipe, sed tenui, carmina scripta stylo:
Omine felici castam duc sponse Maritam,
Et tu dilecto nube puella, viro.
Sponsa grauem pietate virum reuerêre, maritam
Sponse tuam veluti cor redamare velis.
Res aduersa malum tulerit si fortè resistas,
Et quantum poteris vincere vince malum.
Vnanimes sitis ceu sunt in amore columbæ,
Sic Deus æterna, vos cumulabit ope,
Nullus terrigenum disiunget fœdere amantes,
Quos firmo solus vincit amore Deus.
Is vos multiplici præter spem prole beabit
Destruet & stygij vincula dira Ducis.
Cunctarum vobis aderit pax optima rerum,
Verus amor, pietas, candor & alma fides.
Accedet virtus, dulcis concordia vitæ.
Turbabit vestrum nulla procella torum.
Vincite curarum fluctus, rabiemq; molestam,
Crescite vt in læto pinguis oliua solo.
Deinde tibi sponsæq; tuæ benedictio Christi
Aspiret, tribuens prospera fata, precor.
Tu patris, hæc matris quò possit nomine dici,
Vincendo Pilij tempora longa senis:
Sed satis exiles calamo lassauimus artus,
Iam tangat portus fessa carina suos.

Abijce

Abijce Phœbe Lyram quia ſuadet amica voluntas.
Iam ſubeat ſocium blanda puella Torum:
Hæc ſunt (nec fallor) Craſſa dictata Minerua
Carmina, quæ ſponſus vel noua ſponſa leget.
Abſit edax oro ſyncero pectore liuor.
Zoilus & celeri det ſua terga fugę.
Eſt etenim iuuenum iuueniles condere verſus.
His capitur ſtudijs prima iuuenta modò.
Si poſthac tulerit vitam maturior ætas,
Carmina plura canam carmina plura dabo.
Ominis ergo boni donat quæ noſtra Thalia
Non faſtiditus ſuſcipe Petre. VALE.

BIBL. UNIW. WROCŁ.

Epithalamia.

IN HONOREM NVPTIARVM EXIMII AC PII IVVENIS ANDREAE KNEFELII ROCHEczani, Sponſi, & pudiciſsimę virginis CHRISTINAE honeſti viri Domini NICOLAI CAVRZIMSKY, ciuis Neopragenſis filiæ, Sponſæ, &c.

ſcripta ab

Amicis in Collegio Reczek amoris ergò, 3. die Calend: Martij. ANNO: M D. XC.

Non fictus amor: ſed amoris
Arctiſsima vincla fidelis,
Pia reiligioq; duorum
Summo placuêre Tonanti
Vt, qui hæc meditentur, ab alto,
Capiant bona plurima, cœlo:
Placida quin veſtiat vmbra
Hos gratia Dia fouendo.
Summi ſapientia Patris,
Nam ſanxerat (artiùs olim
Corpuſcula bina piorum
Iungens) ſacra fœdera lecti.
Sponſũ hunc dubio ſine, ſponſam
DEVS ipſe fouebit, alũnus (hãc
Veræ pietatis vterq;
Fuerat, DEVS hoſce beabit.
Horum, ſacra flammula ſenſim,
Caſti, modò ſe ingeret Aulæ
Cordis, noua gaudia vtriq;
Quò effundat, & ampliet ignes.
Sed quò rata ſit mage ſpes hæc
Iuuenes, ſua vota, dicati
Muſis, referunt: pie Lector
His pro pietate faueto

Symon Gelenius, Suicenus.

PRAGAE,
EXCVDEBAT GEORGIVS NIGRINVS.